

Alte Drucke

**HIER. ZANCHII || MISCELLA-||NEORVM || Libri Tres.|| AD ||
AMPLISSIMVM SE-||NATVM ANTVERP. ET AD ECCLE-||SIAS,
QVÆ PVRIOREM ANTVERPIÆ || profitentur ...**

Zanchi, Girolamo

Neustadt/Haardt, 1593

VD16 ZV 27950

De Praedestinatione.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-149561

beneficiorum. hic est finis, cur Deus gratuitam esse voluerit, ideoque certam nostram salutem, quemadmodum Zacharias in Cantico cecinit: ut scilicet de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi in sanctitate & iustitia, coram ipso omnibus diebus nostris. Faxit Dominus, ut ita à nobis fiat.

De Praedestinatione.

*Quosdā
esse electos: quosdam reprobos.*



QUOD verò ad alterum nostrae salutis gradum, hoc est, ad praedestinationem attinet: etsi Deus omnes homines amat, quosdam tamen, & non omnes, ad salutem aeternam esse electos ac praedestinos, manifestum fit ab ipsa etiam dissimilitudine, quae in rebus omnibus à Deo conditis conspicitur. Quanquam enim omnia, quae sunt, Deus ipse condidit: ideoque omnia etiam diligit (sicut legimus, in Sapientiae libro: Diligis o Deus omnia quae sunt, & nihil eorum odisti, quae fecisti) diuerso tamen amore à Deo diligi, inde colligere est, quod diuersas eorum conditiones esse voluit: quemadmodum cernimus, longè aliam conditionem & virtutem communicatam esse plantis, quàm lapidibus: & aliam animalibus, quàm plantis: longè verò diuersam hominibus, quàm brutis. Hæc certè diuinarum benedictionum diuersitas, diuersum esse Dei erga res à se creatas amorem, apertè demonstrat. Ita, tametsi omnes homines diligit, cum omnium etiam sit creator, rector, & Dominus: non eodem tamen amore omnes ex æquo prosequitur: id quod diuersa, quam inter ipsos esse voluit, conditio apertè conuincit. Cum enim omnes ex æquo peccarint, alios tamen ita diligit, ut à peccatis per Christum liberet, ut ab inferis eripiat, ut donet fide in Christum, ut ex filijs Adæ Spiritu sancto regeneret in filios Dei, ut in aduersis donet patientia, ut faciat ambulare in præceptis suis, ut eis det Spiritum timoris, quo non recedant à se: ut denique donet vitam aeternam. Alios verò ita diligit, ut tamen nihil harum rerum diuinarum & cœlestium illis impertiat: sed in suis peccatis, in suaque corrupta natura, ideoque in manu Sathanæ, in morte, in inferno illos deferat.

Dominus Iesus Matth. 24. miram diuersamque fore hominum conditionem in aduentu suo ad iudicium, docet ijs verbis: Tunc duo erunt in agro, vnus assumetur, alter relinquetur: duæ molentes in mola, vna assumetur, altera relinquetur: duo in lecto, alter assumetur, alter relinquetur. Sed certè diuersa hæc hominū conditio, post conditum orbem quotidie spectatur. Nam præterquam quod duo peccant, homo & angelus: & vnus, id est, homo assumitur a peccato: alter, id est, angelus in peccato relinquitur: duo etiam sunt primi fratres, Abelus & Cainus: & vnus assumitur in gratiam, vitamque aeternam: alter relinquitur in peccato, morteque aeterna. Duo etiam fratres Isaacus & Ismael: vnus assumitur, alter relinquitur. Rom. 9. Neque omnes qui sunt semen Abraham, ij filij: sed in Isaac vocabitur tibi semen. Duo vterini gemelli, Iacob & Esau: vnus assumitur in gratiam, & diligitur à Deo, Iacob: alter relinquitur, & odio habetur, Esau: vnde illud: Iacob dilexi, Esau odio habui. Duo eunuchi peccant in suum regē Pharaonē, propter quod ambo etiam in carcere conijciuntur: sed inde vnus ad pristinū officium assumitur, alter relinquitur & tandem in furcam adigitur. Duo regna Iuda & Israël, ambo propter sua scelera in captiuitatem ducuntur: sed inde tamen vnum assumitur, nimirum Iuda: alterum relinquitur, Israël. Tempore Christi duo erāt populi, Gentilis & Hebræus: vnus assumitur, Gentilis, ad gratiam Euangelij: alter (id est, maxima Iudæorum pars) relinquitur in sua cæcitate, & in peccatis. Vnde Christus: Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Item: Multi venient ab oriente, &c. filij autē regni ejicientur in tenebras

bras exteriores. Duo Apostoli in Christum peccant, Petrus & Iudas: vnus assumitur, Petrus: alter in peccato relinquitur, Iudas. Duo latrones in cruce cum Christo: vnus assumitur, alter relinquitur. Quod verò singularibus populis & hominibus contigit, idem contigit toti hominum generi. Hoc enim in peccatum lapso, ac ceu in duas partes diuiso: vna pars assumitur ad gratiam & gloriam, altera in peccato & morte relinquitur. Et proinde ab aeterno partem vnā Deus decreuit assumere (isti sunt electi:) alteram verò in suis peccatis relinquere (isti sunt reprobi.)

Diuerfissima igitur est hominum omnium à Deo amatorum conditio. Quoniam alij quidem ita amantur à Deo, imò ab aeterno fuerunt amati, vt eos amarit ad aeternam salutem: hoc est, constituerit illos seruare: Alij verò ita amantur, & varijs beneficijs afficiuntur, vt tamen ad aeternam vitam eos Deus non amet. Neque tamen hinc vllō modo Deus vel iniustitiæ, vel *προσωποληψίας* accusari potest: quòd res à se conditas non omnes iisdem affecerit qualitatibus, & iisdem facultatibus ornat: sed alias fecerit viliores, alias nobiliores: alias ad contumeliam, alias ad honorem: sicut Apostolus dicit de figulo, ad Rom. cap. 9. Idque propter eā, quòd liber est Deus, & nulla lege erga quempiam tenetur. Ita eandem ob causam de nullo crimine accusari potest, quòd homines à se conditos, & à se amatos, non omnes tamen eodem amore prosequatur: sed quosdam ad aeternam salutem & vitam gratis elegerit: alios verò ab hac gratia reiecerit, & ad aeternam mortem destinarit: cū illud factum sit per misericordiam, hoc verò per iustitiam. Vnde Augustinus contra Iulianum Pelagianum: In vna eademque causa, alius relinquitur, iustitia iudicante, non fato: alius assumitur, gratia præstante, non merito. Et Apostolus, cū hoc discrimen diuinæ erga homines voluntatis, quòd scilicet alios ad aeternam vitam elegerit, alios verò reiecerit, explicuisset, mox carnis prudentiæ occurrens, dixit: Nunquid igitur est iniquitas apud Deum? Absit: Mōsi enim dicit: Miserebor, cuius miserebor: & misericordiam præstabo, cui misericordiam præstabo. Equibus verbis, & ex verbis de Pharaone dictis concludit Apostolus: Itaque cuius vult miseretur, & quem vult indurat.

Hæc est prædestinatio, de qua dicturi sumus. Ceterum quòd melius omnia intelligantur, quatuor nobis capita in hac tractatione explicanda sunt. Primum, de discrimine harum vocum, *Præscientiæ*, *Providentiæ*, *Prædestinationis*. Aliquando enim in Scripturis, sæpe verò in Patribus, hæ tres voces promiscuè, vna pro alia, vsurpantur: cū tamen inter eas sit non parua differentia. Secundò, de etymologia huius vocis prædestinare, vnde prædestinatio: seu *προορίζειν*, vnde *προορισμός*: deq; triplici huius vocis significatione. Hinc tertium, Quid sit prædestinatio generatim accepta, declarata definitione, duæ quæstiones explicabuntur: Vna, an omnes homines sint prædestinati vel ad vitam, vel ad mortem. Altera, an omnia quæ agunt homines, tam mala quàm bona, cadant sub prædestinationem. Quartum caput: quid propriè sit prædestinatio in specie accepta, nempe prædestinatio Sanctorum.

De hac enim propriè loquitur hoc in loco Iesaias, cū ait illos repertum iri

sanctos, qui sunt scripti in libro vitæ: vt suo loco declarauimus. Ex

hac verò definitione aliquot conclusiones elicientur: &

testimonijs Scripturarum & Patrum confirmabuntur.

Denomine praescientiae, prouidentiae, praedestinationis.

CAPVT I.



PRAEDESTINATIONEM partem esse prouidentiae diuinæ, Theologi omnes vno consensu fatentur. Discrimen igitur inter ea aliquod sit necesse est: sicut inter genus & speciem. praescientiam verò necessario concludi in prouidentia, & in praedestinatione: manifestum est. Quare praescientia generalior vox est, quàm prouidentia vel praedestinatio. Quod igitur discrimen inter hæc assignatur?

Praescientia Dei, est cognitio, qua Deus præcognouit ab æterno, non tam ea quæ ipsa facturum erat, vel est: quàm quæ non ipse, sed alij facturi erant vel sunt, nempe peccata. De ijs quæ ipse facturum erat (iuxta Patres) est illud: Quos præsciuit (scilicet se facturum sanctos, & similes imagini Filij Dei) eos & prædestinavit: *Rom. 8.* quanquam hic illud verbum *πρόγνω* nonnullis perinde est, atq; præamauit, & ut suos præcognouit. De ijs quæ alij facturi erant, ait: Præsciui furorem tuum contra me. *4. Reg. 19.* Est igitur præscientia, tam eorum quæ ipse facturum erat: quàm eorum quæ non ipse, sed alij erant facturi: Et tantum ad intellectum pertinet. Prouidentia verò, & praedestinatio, sunt eorum duntaxat, quæ ipse facturum erat. Sed hic discrimen quoddam notandum est inter prouidentiam & praedestinationem. Prouidentia est omnium rerum, seu ad omnia opera Dei se extendit, ut Scriptura testatur, dicens: Tua autem prouidentia ab initio cuncta gubernas. Praedestinatio verò est tantum hominum (adde & angelorum) seu ad creaturas tantum rationales extenditur. quanquam enim aliquando apud Patres praedestinatio pro prouidentia usurpatur, tanquam species pro genere, atque ita ad omnia extendatur: proprie tamen praedestinatio ad creaturas tantum rationales pertinet. hæc enim solæ dicuntur prædestinari à Deo, vel ad bonum, id est, ad gratiam & gloriam: vel ad malum, id est, ad poenam. Notandum est etiam hoc: praescientiam in Scripturis aliquando accipi pro praedestinatione: *Rom. 11.* Non repulit Deus plebem, quam præsciuit: id est, prædestinavit, ut Augustinus de Bono perseverantiæ cap. 18. exponit. est enim *πρόγνω*, hoc est, præamauit, & ut suam ab æterno nouit.

Ceterum praedestinatio hæc, prout est species prouidentiae, bifariam accipitur. Aliquando generatim, pro praedestinatione tam malorum quàm bonorum. Hoc pacto dicitur Deus prædestinasse homines ad omne illud, quod præuidit se in hominibus facturum, siue per iustitiam, siue per misericordiam. Hoc modo accipit Augustinus: Inter gratiam porro (inquit lib. 1. de prædest. Sanctorum cap. 10. littera C.) & praedestinationem hoc tantum interest: quod praedestinatio est gratiae præparatio: gratia verò, iam ipsa donatio. Quod itaque, ait Apostolus: Non ex operibus, ne fortè quis extollatur: ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Iesu in operibus bonis: gratia est. Quod autem sequitur: Quæ præparauit Deus, ut in illis ambulemus, praedestinatio est, quæ sine praescientia non potest esse: potest autem esse sine praedestinatione praescientia. Praedestinatione quippe Deus ea præsciuit, quæ fuerat ipse facturum: Vnde dictum est, Fecit quæ futura sunt. Præscire autem potens est etiam quæ ipse non facit: sicut quæcunque peccata, quia etsi sunt quædam, quæ ita peccata sunt, ut poenæ etiam sint peccatorum (vnde dictum est: Tradidit illos Deus in reprobam mentem, ut faciant quæ non conueniunt) non ibi tamen peccatum Dei est, sed iudicium. Quocirca praedestinatio Dei, quæ in bono est, gratia est: Gratia verò, est ipsius praedestinationis effectus. Hæc ille.

Pro-

Prosper in Responsionibus ad capita Gallorum, cap. 15. docet, primum discrimen esse inter praescientiam & praedestinationem: quod etiam mala, nempe peccata, quae alij facturi erant, praescierit: non autem quempiam ad ea facienda praedestinarit: praedestinaverit verò tantum bona, quae ipse erat factururus: nempe vel gratiam & gloriam in electis, vel poenam ultionemque peccati in reprobis, quae bona est. Dubium non est (inquit) sine vlla temporali differentia Deum & praesciuisse simul, & praedestinasse, quae ipso erant autore facienda; vel quae malis meritis iusto erant iudicio retribuenda: Praescisse autem tantummodo, non etiam praedestinasse, quae non ex ipso erant causam operationis habitura. Potest itaque sine praedestinatione esse praescientia: Praedestinatio autem sine praescientia esse non potest.

Item in Sententiis de singulis capitulis Gallorum, sententia super 6. cap. Praedestinatio quoque Dei semper est in bono: quae peccatum, sola hominis voluntate commissum, aut remittendum novit cum laude misericordiae: aut puniendum cum laude iustitiae.

Fulgentius quoque usus est hac voce praedestinationis, pro praedestinatione tam malorum quam sanctorum: & eam ita in genere acceptam definit, ad Monimum lib. 1. Neque enim (inquit) alia est eius praedestinatio, nisi futurorum operum eius aeterna praeparatio: in qua nullius causa mali poterit inueniri: quia ex voluntate Dei nunquam processit origo peccati. Clarius autem idem paulò post explicans: Et quia malae voluntatis (ait) perseverans iniquitas, inulta remanere non debuit: tales ad interitum praedestinavit, quia talibus iustae punitionis supplicium praeparavit. Quod utique manifesto Dominus ipse sermone perdocuit, in eo quod à se ostendit paratum non solum regnum, ubi latentur boni: sed & ignem aeternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Ecce, ad quid Dominus iniquos & impios praedestinavit: id est, ad iustum supplicium, non ad aliquod opus iniustum: ad poenam, non ad culpam: ad punitionem, non ad transgressionem: ad interitum, quem ira iusti iudicis peccantibus reddidit: non ad interitum, quo in se iram Dei, peccantium iniquitas prouocavit. Item: Iniqui ergo (inquit) praedestinati sunt ad mortem secundam, id est, ad stagnum ignis & sulfuris. Item lib. 2. ad Monimum, ex Augustini & Prosperi verbis eam sic definit: Praedestinatio Dei nihil aliud est, quam praeparatio operum eius, quae in aeterna sua dispositione aut misericorditer se facturum praesciuit, aut iuste.

Anselmus lib. de Concordia praescientiae & liberi arbitrij: Praedestinatio (inquit) non solum bonorum est, sed etiam malorum.

Deinde accipitur praedestinatio in specie, pro praedestinatione sanctorum, de qua iam dicturi sumus. De praedestinatione verò impiorum dicemus aliàs, in sexto scilicet cap. Iesaiæ: ubi est proprius locus.

De verbo praedestinandi: & quorum nam sit praedestinatio.

CAP. 11.



QUANTUM verò ad notationem huius vocis praedestinare attinet, duplex est vox: una Latina, praedestinare: altera Graeca, qua utitur Paulus ad Rom. *προορίζω*. Praedestinatio, à destinare est: Destinare autem *Rom. 9.* duo significat Latinis. Primum quidem deliberare, definire, constituere apud se aliquid agere: Ita 2. Machab. 6. Eleazarus destinavit in corde, non admittere illicita propter vitae amorem. Deinde

significat mittere & dirigere ad aliquem finem. Suetonius in Galba: Aliamquē legationem ad praetorianos cum mandatis destinarunt. Quidam igitur Latini Theologi, iuxta utramque significationem, accipiendam esse praedestinationem docent. Primò, quò ad Deum, praedestinare est proponere, decernere, deliberare de aliquibus saluandis, & aliquibus perdendis: Deinde, quò ad ipsos homines praedestinos, praedestinari est praemitti, & ceu dirigi in certum finem, vel vitæ æternæ, id quod fit per Spiritum sanctum: vel mortis, id quod fit per spiritum Sathanæ, in peccata agentis.

Thomas Aquinas hanc etymologiam secutus est in I. p. q. 23. art. 1. in corpore quaestionis. Summa hæc est: Cùm praedestinatio sit pars prouidentiae: prouidentiae autem officium sit, res in finem suum dirigere, & mouere: duplex verò finis sit rationalis creaturae: vnus naturalis, creaturae proportionatus, ad quem potest suis viribus peruenire: alter supernaturalis, qui excedit proportionem naturæ creatæ, qui est vita æterna: hunc finem assequi non potest, nisi ad illum ab alio, nempe à Deo, transmittatur: sicut sagitta à sagittario ad signum seu scopum. Ratio igitur istius transmissionis, seu decretum transmittendi aliquem ad vitam æternam, praedestinatio rectè nominatur, nempe sanctorum. Hæc est Thomæ explicatio.

Diçtio etiam Græca *προορίζειν*, duo significat: præfinire, seu antequam agas aliquid definire: & vnumquodque, antequam fiat, ad suum certum finem & vsum deputare, atque ab aliis rebus segregare. Sic Leuit. 20. & Num. 16. Verbum Hebraicum (*habhdel*) quod est Græcè *προορίζειν*, significat separationem & electionem populi à reliquorum populorum colluie, & in suum proprium vsum segregationem. Iam cùm Deus nihil agat, quod prius non definierit agere: & deinde omnia, antequam fierent, ad certum suum finem & vsum deputarit, vnumquodque (quantum ad hunc suum vsum attinet) ab aliis separando: iccirco praedestinatio Dei primò in genere accepta, significat propriè decretum Dei, quo singulas res, antequam cõditæ essent, ab æterno ad certum aliquem vsum & finem destinauit.

Significatio huius vocis praedestinatio, prima. Hoc pacto praedestinatio erit non tantum hominum, sed etiam creaturarum tam irrationalium quàm rationalium. Sic solemus dicere de pluuia, igne, de domo aliqua conflagrante, de quæ rebus singulis: sic fuisse praedestinas, vt contingerent tali tempore: id est, in talem vsum fuisse destinatas ab æterno Deo. Et hæc est prima & generalissima eius significatio.

Secunda. Ceterum Patres frequentius vocem hanc praedestinationis ad homines ipsos contrahunt, tam malos quàm bonos, vt ipsi propriè dicantur fuisse praedestinati vel ad vitam, vel ad mortem: non autem aliæ res rationis expertes. Sic vox Praedestinationis contracta ad homines ipsos, significat decretum Dei æternum, quo vnumquemque hominum ad certum vsum & finem deputauit: alios nimirum ad hunc vsum & finem, vt æternum viuant cum Christo beatam vitam, ideoque in eis bonitas & misericordia Dei declaretur: alios verò in hunc, vt æternum propter sua peccata, cum Sathana in igne crucientur, ideoque in eis iustitia & potentia Dei illustretur. Hoc pacto, Praedestinatio erit non tantum bonorum, sed etiam malorum: vt tam mali dicantur praedestinati, sed ad mortem, quàm boni praedestinati dicuntur ad vitam. Sic Scriptura rem ipsam tradit: vt Rom. 9. Antequam quidquam boni vel mali egissent, Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Sic Act. 1. de Iuda Apostoli Deum orantes dicunt: Iudam prauaricatum esse ab Apostolatu, vt abiret in locum suum. Quid hoc est, nisi vt abiret in locum damnatorum, & in mortem æternam, ad quam cum Sathana praedestinatus fuerat? Sic Patres, Augustinus, Fulgentius, Honorius, Anselmus, & alij, tam impios quàm pios dicunt esse praedestinos: sed ad contrarios fines & vsus, sicut ostensum est.

Imò in hanc significationem, quatenus de malis etiam dicitur, eadem voce usus est Spiritus sanctus in Actis cap. 4. quum Apostoli dixerunt de Herode & Pilato, illos fuisse congregatos aduersus Iesum, vt facerent quæcunque manus tua, (ò Deus) & consilium tuum *πρόωρον συνέδριον*. Ceterum aliis in locis non lego usurpatam fuisse hanc vocem à Spiritu sancto, nisi quum de electis loquitur: Sicut etiam ait Rom. 8. Quos præsciuit, & prædestinavit, &c. Et sic vsus in Scholis obtinuit, vt vox hæc prædestinatio singularissimè ad ipsos pios seu sanctos contrahatur, & loco electionis usurpetur.

Sic Augustinus, & alij, Prosper, Fulgentius, Honorius, Anselmus, cum definiunt prædestinationem, ad electos eam contrahunt, dicentes: Prædestinatio est præscientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur.

Hæ sunt tres huius vocis significationes: quarum prima ad omnes creaturas pertinet: secunda ad omnes homines extenditur: tertia ad ipsos tantum electos & sanctos restringitur, & propriè dicitur prædestinatio sanctorum.

*Prædestinationis definitio: Definitionisque
confirmatio.*

CAP. III.



VXTA has tres significationes, prædestinatio trifariam definiri potest. Iuxta primam definitur sic: Prædestinatio est sapientissimum, æternum, immutabileque Dei decretum: quo vnamquamque rem, antequam crearetur, ad suum certum & usum & finem deputauit, seu destinavit. De hac in præsentia non loquimur.

Iuxta secundam: Prædestinatio est sapientissimum, æternum, immutabileque decretum, quo Deus apud seipsum pro sua libera voluntate ab æterno constituit: Primum, omnes homines, tum creare, tum vt in peccatum laberentur, & in mortem ruerent, permittere: Deinde, horum alios in Christo, sua tum gratia, tum æterna vita gratis donare: alios verò hac gratia non dignari: Sed cum Sathana, tum excæcare & indurare, tum æterno exitio perdere: idque vt in illis diuina bonitas & misericordia, in istis verò diuina potentia & iustitia declaretur, atque ita in omnibus Deus glorificetur.

Definitio hæc habet omnes suas causas. Causa agens, Deus est, cum suo æterno immutabilique decreto. Materialis, homines omnes prædestinati: alij ad vitam, alij ad mortem. Formalis, ipsa hominum, antequam vel crearentur, vel in peccatum & mortem labi permetterentur, deputatio: quorundam quidem ad æternam salutem & vitam, quorundam verò ad æternam damnationem & mortem. Finis duplex. Electorum quidem ad vitam, vt in ijs bonitas & misericordia Dei illustretur: reprobatorum verò ad mortem, vt in illis potentia & iustitia Dei declaretur: atque ita in vtrisque glorificetur Deus. Causa impulsiva, cur, cum omnes ex æquo prouiderit in peccatum lapsuros, quosdam tamen inde liberare & seruare, aliis in suo peccato & morte relictis, decreuerit, fuit ipsa libera Dei voluntas: quæ quatenus respicit electos, amor erga illos: quatenus reprobos, odium erga illos appellatur.

Primò, quòd sit *Decretum Dei*, patet ex significatione & etymologia ipsius vocis prædestinare, vt ante dictum est. Et Paulus ad Romanos, ad Ephesios, & alibi, vocat prædestinationem, propositum voluntatis Dei.

*Probatio
definitionis.*

2. Deinde, quod *Aeternum*, patet à perfectione diuinæ & scientiæ & voluntatis: nihil enim vel cognoscit vel vult iam Deus, quod etiam non nouerit & voluerit ab æterno. Prædestinatio autem nihil est, nisi & præscientia & voluntas Dei. Ergo prædestinatio est æterna, seu æternum est decretum. Et Scriptura apertè fatetur, prædestinatos nos fuisse ante mundi constitutionem: item, Ante tempora æterna.
3. Tertiò, quod *Immutabile*, patet ex perfectione diuinæ naturæ: mutatio enim sententiæ, imperfectionem iudicij significat. Psal. verò ait: Consilium autem Domini manet in æternum. Et 2. Timoth. 2. Firmum stat fundamentum, habens signaculum hoc, Nouit Dominus qui sint sui.
4. Quartò, *Quo Deus apud seipsum ab æterno constituit, &c.* Deus solus prædestinat, non homines seipso prædestinant: neque horum voluntas, causa potest esse prædestinationis: sed Deus, pro sua libera voluntate.
5. Quintò, *Omnes homines, &c.* nullus est enim, qui non sit prædestinatus, vel ad mortem, vel ad vitam: vt postea probabimus. Non loquimur hîc de angelis, qui etiam ipsi prædestinati fuerint, alij ad vitam, alij ad mortem: neque de Christo hîc sermo est: neque enim prædestinatus fuit, vt ad tempus in peccatum labi permitteretur. Sed de solis hominibus loquor.
6. Sextò: *Tum creare: tum vt in peccatum laberentur, & in mortem ruerent, permittere.* Hoc addidi, ne quis existimet peccatum fortuitò euenisse, non autem diuino consilio. nam etiam hoc cadit sub prædestinatione. Peccatum quidem ipsum effectus non est diuinæ prædestinationis: quia Deus nemini malitiam indit, qua peccet: Sed non sine diuina præscientia, & ordinatione contigit.
Et in hunc sensum Augustinus, Fulgentiusque, præsertim ad Monimum contendit, Deum neminem ad peccatum prædestinare. Quare? Quia malitia peccandi à Deo non est. Prædestinatio autem tantum operum Dei est. Neque enim (inquit Fulgentius) alia est eius prædestinatio, nisi futurorum operum eius æterna præparatio, in qua nullius causa mali poterit inueniri: quia ex voluntate Dei nunquam processit origo peccati. Hæc ille. Origine peccati malitia fuit Sathanæ. hæc ex Deo non est: quare nec peccatum hominis. At permissio, & voluntaria quidem permissio, qua Deus finit homines labi in peccata: opus Dei est. Ergo ab æterno prædestinauit, id est, decreuit permittere, hominem labi in peccatum. Quare permissio peccati, sub prædestinatione concluditur. Huc illud Prouerb. 16. Omnia propter semetipsum creauit Dominus, etiam impium ad diem malum. Sed de hoc alias.
7. Septimò: *Horum verò alios.* Hoc etiam probandum erit. Est enim humanum genus in duas diuisum partes: In electos ad vitam, & reprobos ad mortem. Harum duarum partium humani generis, typus, vel potius exemplum fuit ille fœtus duorum gemellorum in vtero Rebeckæ, de quibus sic dixit Dominus Gen. 25. Duæ gentes sunt in vtero tuo, & duo populi ex visceribus tuis diuidentur.
8. Octauò, *In Christo.* Ephes. 1. Deus enim Pater neminem decreuit seruare nisi per Christum, & omnia bona communicare tantum per Christum. Propterea sicut vocatio, & iustificatio, & glorificatio fit per Christum: sic etiam prædestinatio in Christo facta fuit. & extra Christum nemo vel electus, vel vocatus, vel iustificatus, vel glorificatus vnquam fuit, aut esse potest.
9. Nonò: *Tum gratia, tum vita æterna.* Nomine gratiæ complector non solum Dei fauorem, & beneuolentiam: sed omnia Dei dona, quæ ad salutem consequendam faciunt: Fidem, & opera fidei, & perseuerantiam. Omnia enim hæc effecta sunt prædestinationis: Vita æterna, est vltimum effectum.

Decimò

Decimò, *Gratis*: non propter opera prauisa, vel vsum liberi arbitrij, sed gratis. 10.
Tota enim salus gratuita est: vt postea probabitur: Ideo Paulus dicit: Secundum beneplacitum voluntatis suae.

Vndecimò: *Alios non dignari.*) Patet ab effectu. Videmus quòd, cum omnes 11.
homines ex æquo nati sint in peccatis, alios tamen inde eripit, alios non: alijs dat fidem, alijs non dat. Ergo non est dignatus omnes eadem gratia: & hoc est reprobare.

Duodecimò: *Excæcare, indurare.* Scriptura tradit apertè, Deum quosdam, id est, 12.
reprobos excæcare & indurare. Ergo prædestinauit eos ad indurationem, & excæcationem, quæ sunt pœnæ præcedentium peccatorum.

Decimotertiò: *Vt in illis misericordia & diuina bonitas.* Ephes. 1. Ad laudem gloriæ 13.
gratiæ suæ: ideo Rom. 9. vasa misericordiæ appellantur: eo quòd in hunc finem eos elegerit, vt in eis, ceu vasis, sua misericordia locum haberet, & mundo patefieret. *In istis diuina potentia & iustitia declaretur.* Rom. 9. In hoc ipsum excitauit te, vt ostendam in te potentiam meam. Item: Quòd si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ, aptata ad interitum? Ideo vocantur vasa iræ.

Decimoquartò: *Atque ita in omnibus glorificetur Dominus.* Finis vniuersalis 14.
atque vltimus & reprobationis quorundam, & electionis aliorum, est gloria Dei. Prouerb. cap. 16. Omnia propter semetipsum creauit Dominus, etiam impium ad diem malum. Et quòd ex perditione impiorum resultet gloria Dei, docet Esaias cap. 3. cum ait: Et exaltabitur Dominus solus in die illa: Idem Esaias capit. 5. versu 16.

Hæc est definitio prædestinationis in genere sumptæ, quatenus omnes homines tam malos quàm pios complectitur. Sed quoniam de prædestinatione tantum Sanctorum nobis est sermo in hoc loco Esaiæ, qui eam vocat librum vitæ, ideo non amplius in hac generali immorabor.

Tantum quædam in hac definitione notanda sunt. Primum eam sumptam & conflata esse tum ex causis, tum ex effectis. Causæ superius explicatæ fuerunt. Effectorum verò prædestinationis, quædam sunt communia reprobis & electis, quædam singulorum propria. Communia sunt, creari, & fini vt labantur in peccatum & mortem: omnes enim creati, permitti sunt in peccatum & mortem ruere. Electorum propria sunt, donari gratia, & vita æterna in Christo, gratis: neque enim reprobi donantur vnquam gratia, id est, vel fauore & benevolentia Dei, vel gratia regenerationis, vel vera fide, vel operibus veræ fidei, vel perseuerantiæ dono: nec denique vita æterna: Sed soli electis, & omnibus electis hæc donantur. Sunt ergo hæc in electis, propria effecta prædestinationis. Propria reproborum sunt, primum excludi ab hac gratia & vita æterna: deinde, relinqui in peccatis, excæcari, indurari: ac denique cum Sathana æterno exitio perdi. Soli enim reprobis hæc contingunt: sunt ergo ipsorum propria.

Secundò notandum, definitionem hanc esse dispositam iuxta eum ordinem effectuum Dei, quo illa operatur Deus in prædestinatis omnibus. prius enim creauit homines: deinde permisit labi in peccatum, & ruere in mortem: tertio, hinc quosdam gratia donat, à peccatis liberat, iustificat, regenerat, sanctificat, ducit in vitam æternam, & omnia gratis in Christo: quosdam verò in peccatis relinquit, immò & in pœnam præcedentis peccati excæcat & obdurat per ministerium Sathanæ, & tandem in orcum iustissimè deijcit, & æterno exitio perdit. Hunc ordinem effectuum Dei in hominibus, tradunt sacræ literæ. Licet ergo sic argumentari: Deus primò creauit homines: deinde permisit eos labi in peccatum, & per
pecca-

DE PRAEDESTINATIONE.

peccatu in mortem: tertio, horum ex peccato & morte quosdam pro sua gratia eligit, ac Christo donat: eos per Christum iustificat, donat perseverantia, ducit in æternam vitam: alios vero hac gratia non dignatur, sed in peccatis suis relinquit, & propter illa excæcat etiam, & indurat, ac tandem in æternam mortem iustissime tradit. Quæ autem nunc facit, ab æterno voluit facere, & sciuit se facturum: id quod nihil aliud est, quàm prædestinare. Ergo prædestinavit primò homines creare: deinde permittere eos omnes in peccatum labi, & in mortem ruere: postremò, quosdam gratis à peccato & morte per Christum liberare, iustificare, donare perseverantia, ducere in æternam vitam: alios verò hac gratia non dignari, sed in suis peccatis & morte relinquere, & propter illa indurare, excæcare, & tandem æterna morte pro sua iustitia afficere. Quis hanc argumentationem à posteriori, potest improbare?

Possumus & inuerso ordine, ab ultimo effectu exoriri, sic definire, vel potius describere prædestinationem. Aeternum est, immutabileque decretum, quo Deus apud se constituit ab æterno, idque citra hominum merita. suæ tum misericordiæ, tum iustitiæ patefaciendæ, ideoque suæ gloriæ illustrandæ gratia, quosdam æterna vita beare, quosdam verò æterna morte perdere: atque ut vtrumque commodè, id est, ut & illud misericorditer, & hoc iuste fieret, decreuit primùm permittere omnes homines iam conditos, in peccatum labi, & in mortem ruere: deinde hos, quos ad vitam deputarat, per Christum saluare, efficaciter vocare, iustificare, regenerare, & perseverantia in fide vera donare: quos verò ad interitum, eos in peccatis deferere, excæcare, obdurare.

Differentia inter vtramque est, quòd illa prior est iuxta ordinem effectuum, prout sunt in executione. Primò enim Deus creat, permittit ut in peccatum ruant: deinde donat gratiam: postremò vitam æternam. Hæc verò posterior, est iuxta ordinem effectuum, prout sunt in intentione. Et si enim in Deo non sit neque prius, neque posterius: restamen, quas decreuit, habent naturaliter suum prius & posterius: ita ut dicere possimus, Deum prius destinasse homines ad suos fines, quosdam ad vitam, quosdam ad mortem: Deinde ea statuissè, quæ ad hos fines consequendos faciunt: qualia sunt post permissionem peccati, gratia in electis, & excæcatio atque obduratio in reprobis. In exequenda verò sua prædestinatione, primò electos donat gratia, fide, fructibus fidei, postremò vita æterna: reprobos verò primò in peccatis deferit, excæcat, obdurat: deinde morti æternæ adiudicat. Primum enim in intentione seu in consilio: semper vltimum est in executione: & certò ita se res habet. Sed prior etiam vera est, & minus simpliciores offendit.

*Questio
1. An om-
nes abso-
lutè et sim-
pliciter
prædesti-
nati sint,
aut ad vi-
tam, aut
ad mortem.*

*Argumē-
tum I.*

Iam duæ quæstiones, quæ ex definitione oriuntur, explicandæ sunt. Prima: An omnes homines sint prædestinati vel ad vitam, vel ad mortem æternam: idque non conditionaliter, si crediderint, vel non crediderint (ut quidam noui Pelagiani docent) sed absolutè: ita, ut etiam ideo credant, quia fuerunt prædestinati ad credendum: alij verò non credant, quia reprobati.

Respondeo: Maximè. Hoc est perspicuum, primùm quidem ex definitione, iam allata: deinde multò magis ex locis Scripturarum sacrarum, vnde definitio desumpta est. denique ex rationibus à Scriptura deductis: tres afferro.

Vult & facit Deus, ut aliquibus prædicetur Euangelium, quod est instrumentum salutis, aliquibus non prædicetur: vnde & ad illos mittit Apostolos & concionatores, ad hos verò neminem: Immò si aliqui ad eos velint ire prædicatum, aliquando prohibet, ne eant: Act. cap. 16. prohibetur enim Paulus à Spiritu sancto, ne in Asia loquatur verbum Dei: item ne eat in Bithyniam, ibique prædicet: nempe pro eo tempore. Contrà iubetur ire in Macedoniam, ibique prædicare: Item ire Corinthum, ibique Euangelium annuntiare. Act. 18. Et rationem adfert Deus, dicens:

Populus

Populus est mihi multus (scilicet electus: id quod significatur illa particula Mihi, alioqui etiam in Asia multus erat populus, sed non Deo, id est, electus) in hac ciuitate. Quo ex loco colligere est, Deum nolle praedicare Euangelium, ubi nullus est ex suo populo. Hoc enim esset spargere margaritas ante porcos.

Ergo hominum omnium alij sunt praedestinati ad audiendum Euangelium, alij ad non audiendum, ideoque ad mortem. Ab aeterno enim voluit Deus, ut aliquibus praedicaretur Euangelium, aliquibus non. Huc illud Christi Matth. II. Gratias tibi ago Pater, quod abscondisti haec a sapientibus, & reuelasti paruulis: ita Pater, quia sic placuit tibi.

Eorum qui audiunt Euangelium, alijs aperit cor ad intelligendum, datque fidem ut credant, ideoque saluentur: alijs non aperit cor, nec fidem dat: ut patet exemplis infinitis, in sacris literis. Act. 19. Mulieri purpurariae aperit Deus cor, ut credat ijs, quae dicuntur a Paulo: alij autem foeminae Pythonissae non aperit. Est enim fides donum Dei, & hoc dat cui vult. Ergo ab aeterno decreuit, alijs dare fidem ad salutem, alijs non dare. Quare omnes sunt praedestinati, aut ad vitam, aut ad mortem.

At datur fides etiam impijs, reprobis, qui non perseverant.

Respondeo: Vera & viua, ideoque perpetua fides non datur reprobis: sed tantum electis. Haec enim, fides electorum, a Paulo ad Titum 1. appellatur: & Act. 13. legimus, illos tantum credidisse, qui fuerant ad aeternam vitam praedeterminati. Sic ab ipsa regeneratione, & alijs fidei effectis duci possunt argumenta: Alij regenerantur, alij non regenerantur: idque fit, quia Dominus alios vult regenerare, alios non. Ergo alij praedestinati sunt ad regenerationem, ideoque ad vitam: alij non, ideoque ad mortem: cum sine regeneratione, ad vitam aeternam peruenire nemo possit.

In fine seculi Deus ex omnibus hominibus, qui ante se congregati erunt, alijs dicet, Percipite regnum, quod vobis paratum est: alijs, Ite in ignem aeternum, qui paratus est diabolo, &c. Matth. 25.

Ergo omnes homines sunt praedestinati, vel ad vitam, vel ad mortem aeternam. Si enim alios introducet in vitam aeternam, alios vero abiiciet in aeternam mortem: utique vtrunque faciet, quia vult & illos aeterna vita donare, & istos aeterno supplicio afficere. Non enim nisi volens facit, quicquid facit ipse Deus: ut ait Augustinus in Enchiridio ad Laurentium. Si autem volens vtrumque faciet, Ergo ab aeterno voluit & decreuit id facere: propterea quod nihil nunc vult, aut posthac vult, quod non ab aeterno voluerit. Vnde Augustinus 15. de Trinitate ait, Deum nihil posse velle voluntate noua & accedente. Voluntas autem haec, est praedestinatio ipsa.

Huc adferantur sententiae Scripturarum, quae aperte docent, ab aeterno quibusdam hominibus praeparatum fuisse regnum Dei: alijs vero ignem aeternum cum Sathana. Matth. 25. Possidete regnum, quod vobis paratum est a Patre meo. Alijs: Ite in ignem aeternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Ergo omnes sunt praedestinati, vel ad vitam, vel ad mortem. Verum est igitur, quod diximus in definitione, quod Deus suo decreto aeterno decreuit, hominum alijs gratiam & gloriam donare: alios indurare, excicare, perdere.

Ex hoc eodem loco, quo diximus Deum decreuisse ab aeterno dare alijs gratiam & fidem, vnde fit ut bene operentur: alios in suis peccatis corruptaque natura deferere, adde excicare, atque indurare: vnde fit ut nullam fidem adhibere possint Euangelio: sed sua infidelitate reiiciant, ideoque magis peccent. Nunc alia se offert questio: an omnia quae agunt praedestinati, siue mala (ut faciunt reprobi) siue bona, ut faciunt electi, cadant in praedestinationem: id est, An ideo electi credant, beneque operentur, quia ad credendum & bene operandum sunt praedestinati: & reprobi

Quaest. 2.
An omnia tam mala,

quam bona qua admittunt homines: sub praedestinatione continentur.

probi

probi an ideo non credant & peccent, quia non sunt praedestinati ad fidem, neque ad bona opera: eoque nec ad vitam, sed ad mortem. Respondeo, de electorum bona voluntate, fide, fideique operibus dubitandum non est, quin effecta sint praedestinationis: hoc est, quin ideo credant & bene operentur, quia ad credendum & ad bene operandum sunt praedestinati. Etenim (vt à fide incipiam) de fide, quæ initium & causa bonorum operum est, ait Lucas Actorum 13. praedicationi Pauli eos tantum credidisse, qui erant praordinati ad vitam æternam. Quid hoc est, nisi, Ideo crediderunt isti, non alij: quia isti praordinati erant ad credendum, & ad vitam æternam, quæ sine fide haberi non potest, alij autem non?

Ephes. 1. Elegit nos, vt essemus sancti & immaculati. non ait: Quia futuri eramus sancti, ideo elegit: sed elegit, vt essemus. Ergo sanctitas nostra, & quicquid ad sanctitatem facit, cadit in praedestinationem, & effectus est praedestinationis.

Ephes. 2. Ipsi opus sumus, creati in operibus bonis, quæ præparauit, vt in illis ambulemus. Ergo quod quis etiam ambulet in operibus bonis: causa est, quia ita praedestinatus est à Deo, vt in eis ambulet.

Iohan. 10. reprobis ait, Non creditis, quia non estis ex ouibus meis. Ergo quod aliquis credat, causa est, quia est ex ouibus, id est, electis.

1. Corinth. 7. Misericordiam consecutus sum, vt fidelis essem. Non ait, quia fidelis eram: sed, vt fidelis essem.

Doctrina hæc manifesta est in Scripturis, comprobata à Patribus, recepta ab orthodoxa Ecclesia. De electis igitur dubium non est, si credant, si bonum velint, si sancti sint, si bona opera faciant: ideo illos credere, ideo bene velle, ideo esse sanctos, ideo bene operari, quia praedestinati sunt à Deo ad hanc gratiam. Omnia enim hæc bona in sanctis, effecta sunt praedestinationis.

Legitote hac de re post Augustinum in libro de Praedestinatione sanctorum, & ad Simplicianum, & vbiq; ferè, ipsum etiam D. Prosperum, eius discipulum, cum alibi, tum in Responsionibus ad capitula Gallorum, & in libro contra Cassianum. Item Fulgentium in libro ad Monimum primo, qui est de Praedestinatione. Ait enim concludens, inter alia: Hæc autem omnia (id est, vocationis nostræ initia, & iustificationis augmenta, & glorificationis præmia) in praedestinatione Deus semper habuit: quia & in vocatione, & in iustificatione, & in glorificatione sanctorum, gratiæ suæ opera futura præsciuit.

At de reprobis in fidelitate, & reliquis peccatis, an cadant sub praedestinationem: difficilior est quaestio. Fulgentius in libro ad Monimum de praedestinatione: Prosper & alij permulti, contendunt, neminem à Deo praedestinatum fuisse ad peccandum: ideoque mala quæ agunt reprobi, cadere quidem in præscientiam, quia à Deo præuisa fuerunt: sed non in praedestinationem, quia peccata, non sunt Dei opera, neque à Deo: praedestinatio autem est præscientia & præparatio operum Dei, quæ ipse facturum erat: vt Augustinus & Fulgentius definiunt. Quare quod reprobi peccent, in causa non esse praedestinationem, sed suam ipsorum malam voluntatem. Quod verò electi bene operentur, in causa non esse ipsorum liberum arbitrium, sed praedestinationem: nam etiam voluntas præparatur à Deo. hæc omnia piè & Christianè dicta, nam reuera nemo praedestinatus est, propriè loquendo, ad peccandum: licet quisq; ad ea facienda, quæ facit, destinatus sit: nempe quatenus opera sunt, non autem quatenus sunt peccata: & hæc fuit mens Patrum. Ceterum viderunt Patres, si absolutè dixissent, impios ideo peccare, quia fuerint praedestinati ad peccandum: homines impios, quæ est ipsorum malitia, omnem peccati causam & culpam in Deum reiecturos fuisse: Idcirco ne impijs frena ad peccandum laxarent, continuerunt se ab huiusmodi locutionibus: quas tamen non rarò usurpat Spiritus sanctus in sacris literis.

Ac primum quidem sacre literæ, quod impij vel non credant in Deum ac Christum, vel non bene operentur: aperte aiunt hoc ideo fieri, quia non sint prædestinati à Deo ad fidem, & ad bona opera.

1. Reg. 2. de filiis Heli Scriptura ait, illos non paruisse Patri eos corrigenti: Quare? Quia eos Deus volebat occidere, ait Scriptura: id est, quia prædestinati erant ad mortem.

Matth. 13. Semen cecidit in terram bonam, & fructum adfert: Quid ita? Quia terra bona. Reliquæ partes, quæ inter spinas, inter patrosas, & in viam ceciderunt, non adferunt fructum: Quamobrem? Quia non in terram bonam ceciderunt: Quasi dicat: Reprobi, etsi audiant verbum: fructum tamen non proferunt ex verbo, quia non sunt electi, sed reprob.

Matth. 13. Vobis datum est nosse mysteria regni Dei: cæteris in parabolis, ut videntes non videant, &c. Cur igitur impij non percipiunt mysteria regni Dei, ideoque non credunt, & saluantur? Quia illis non est datum: hoc est, quia non sunt electi ad hoc.

Iohan. 8. Sed vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis. Quid hoc dicto Christi clarius? Ibidem: Qui ex Deo est, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis: hoc est, quia non habetis Spiritum Dei, neque ad habendum estis prædestinati.

Iohan. 12. Propter hoc non poterant credere, quoniam rursus Iesaias dixit: Excæcavit oculos eorum, ne videant. Quod ergo reprob non credant, neque bene operentur, Scriptura aperte dicit hoc esse, quia non sunt ex numero electorum, & ad vitam prædestinatorum. Immo & altius ascendens tradit: impios, si aliquid opus agant, quod tamen in ipsis peccatum est, ideo illud facere, quia ita præordinatum à Deo fuerat, ut hoc facerent.

Actorum 2. Petrus docet, quod Iudæi crucifixerint Christum per manus iniquorum (quod maximum fuit scelus) ideo hoc illos fecisse, quia sic in prædestinatione præfinierat Deus: ut scilicet per illos traderetur, & crucifigeretur: alioqui id non facturos, si Deus in eorum manus, illum ad occidendum non tradidisset, & tradere decreuisset. Hunc etiam locum sic interpretati sunt, præter Augustinum, viri alij nostri seculi doctissimi.

Actorum 4. Tota Ecclesia ait, Herodem & Pilatum conuenisse cum gentibus & populis aduersus Christum, ut facerent, quæ Deus suo æterno consilio decreuerat per manus illorum fieri. Quasi dicat: ideo ij duo impij condemnarunt Christum (quod maximum fuit scelus) quia consilium Dei ita decreuerat, ut facerent.

Apostolus etiam ait Rom. 9. Reprobos esse vasa iræ, apparatus ad interitum: nempe à Deo: Vbi ait doctiss. Musculus: Hinc est, quod nihil planè emendantur impij, ut corrigantur: Quare? Quia parati sunt ad interitum: Hæc ille. Idque confirmat exemplo filiorum Heli, de quibus 1. Reg. 2. Et Augustinus de Prædestinatione sanctorum, exponens illud Iohannis 6. Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me: Ergo (inquit) omnis qui venit ad Christum, ideo venit, quia audiuit ex Patre, & didicit: Et, Omnis qui non venit ad Christum, ideo non venit, quia non audiuit à Patre.

PLURA testimonia adferam aliàs, cum peruenero ad 6. cap. Iesaiæ, ubi locus proprius est hanc doctrinam explicandi. Satis ad explicationem definitionis allatæ, hæc pauca attulisse testimonia: quibus manifestum factum est, & bona opera, quæ non faciunt impij, & mala, quæ agunt; contineri sub prædestinatione, non tantum sub præscientia: hoc est, & ideo non bene agere impios, quia non sunt ad bonum prædestinati: & ideo malum agere, quia sunt reprobati. Sic loqui-

tur Spiritus sanctus in Scripturis: Ideo non creditis, quia non estis ex ouibus. Sed hic prudentia carnis premit, & multa obiicit. Cæterum responsiones ad obiecta carnis, differo usque ad 6. Caput. ibi respondebo ad omnia, quæ caro obiicere solet. In præsentia duo tantum, quæ faciunt ad explicationem huius quæstionis, declarabo.

Obiectum.
1.

PRIMUM: Si impij non credunt, quia non sunt ex ouibus, sed ex hædis: Ergo videtur prædestinatio causa esse peccati, ut scilicet reprobi non credant, neque bene operentur.

RESPONDEO: *ὁ θεὸς λόγισμός ἐστι* non causa ut causa. Et si enim homo non potest credere, nisi sit prædestinatus ad fidem: non tamen sequitur, prædestinationem causam esse, ut aliquis non credat. Prædestinatio enim causa est omnis boni, & nullius mali. Causa efficiens & vera peccati: est malitia & corruptio naturæ nostræ. Exemplum: Sine gratia Dei, & sine Spiritu Dei, nemo potest credere, legemque Dei seruare. Spiritum sanctum autem Deus dat cui vult, & cui non vult non dat, pro suo arbitrio, eoque iusto. Cum ergo quis destitutus Spiritu Dei non credit: nunquid voluntas (ut ita loquar) Dei dicenda erit causa, cur ille non credat? Minimè, cum sit tantum denegatio seu remotio causæ sine qua non: id est, remotio voluntatis & gratiæ Dei, sine qua voluntate credere nemo potest. Etenim si Deus vellet hunc donare Spiritu suo crederet: sed quia non vult donare: ideo iste non potest credere. Causa igitur propriè efficiens peccati, est ipsa propria innataque infidelitas ac malitia, talis & tanta: quæ, si Dominus nolit eam tollere, efficiat ut impij non possint non peccare. Capite hoc simile. Natus est aliquis claudus: fac ut ego possim curare, si velim: sed nolim: neque enim debito aliquo teneor. Quod ergo ille claudicat: in causa est proprium illius vitium ac morbus: non autem voluntas mea, qua illum sanare nolo. Sic prædestinatio & voluntas Dei, non ideo causa dici potest, cur impij non credant, quia illos noluit ad fidem prædestinare: Sed propria, & vera causa, cur non credant, est propria ipsorum & innata ab Adamo cæcitas atque malitia.

Obiectum.
2.

ALTERVM, quod hic explicandum venit, est hoc. Si ideo (verbi gratia) Pilatus & Herodes conuenerunt aduersus Christum, quia à consilio æterno fuerant ad hoc prædestinati: & si quæ agunt mala impij, ideo agunt, quia ad hæc fuere præordinati: videtur ergo Deus prædestinasse aliquos ad peccandum: id quod Patres omnino impugnant, & merito.

RESPONDEO: Sunt, & quidem non vulgares, neque indocti viri, qui hoc facile concedunt: prædestinatos esse à Domino aliquos ad peccatum. Cum enim Scriptura dicat, Deum tradere quosdam in reprobum sensum, excæcare, obdurare, tradere in desideria cordis sui: Quare non etiam dicere liceat, Deum prædestinasse quosdam ad excæcationem, & ad ea quæ excæcationem consequuntur: hoc est, ad peccata? Sed ego aliter respondeo. In quouis peccato duo sunt: Opus ipsum, seu actio: alterum, ipsa malitia peccantis, qua fit, ut opus illud, alioqui suapte natura bonum, malum & peccatum fiat. Quod ergo nullum opus agant impij, ad quod non sint à Deo prædestinati, omnino fatendum est. Nihil enim fit in mundo, quod Deus non ab æterno præscierit futurum, & quod etiam non decreuerit fieri: hoc autem est prædestinare. Item omnes actiones, quæ actiones sunt, actiones sunt etiam Dei: operatur enim omnia in omnibus. Nihil autem agit Deus in nobis, quod non ab æterno prædestinauerit se facturum in nobis, & ut fieret per nos. An non peccant impij Tyranni, cum pios propter Christum, & propter benefacta persequuntur, affligunt, occidunt? An non verò Dei voluntate hæc fiunt per impios? Petrus certè hoc disertè tradit: dicens, Melius est enim, ut bene agentes, si ita velit Dei voluntas, malis afficiamini, quàm malè facientes.

1. Pet. 3.

Si

Si hoc Deus vult, & voluntas Dei æterna est: an non igitur ab æterno Deus impios Tyrannos, ad pios malis afficiendos prædestinavit? Sed notandum est, piorum afflictiones, quatenus à Dei sunt voluntate, bonum opus esse: nihil enim vult seu approbat Deus, quod non sit bonum: Quatenus autem sunt à voluntate impiorum, mala esse opera, & peccata: Neque enim hæc agunt, vt diuinæ obediant voluntati, imò norunt se facere contrà, quàm Deus mandauit: Adde quod in alium etiam finem hæc agunt, quàm Deus per illos hæc fieri vult. Proinde idem factum, quatenus à Deo est, Deo ipsi probatur: quatenus ab impiis, improbatur, eoque & punit. Ergo verum est, nullum opus fieri ab impiis, ad quod faciendum non fuerint ab æterno prædestinati. Quòd verò homines sint prædestinati propriè ad peccandum; dari non potest: quia κακία, id est, malitiam, vitiūque quo peccant impij, neque à Deo, neque à Dei prædestinatione habent, sed à Sathana: & in ipsis residet ab Adamo. Atque hoc est, quod Patres oppugnant: Fulgentius: Porro autem (inquit) in iniquis puniturus est Deus, quòd vt essent mali non dedit, nec eos ad iniquitatem aliquam prædestinavit. Nemo ergo prædestinatus est ad peccandum: id est, ad faciendum opus aliquod malum, quà malum & peccatum est: sed omnes sunt prædestinati ad facienda ea omnia quæ agunt, non quæ peccata sunt, sed quæ sunt opera & actiones quædam, quæ suapte natura bonæ sunt. Proinde iure puniuntur à Deo Herodes & Pilatus, ambo impij, ob illa perpetrata opera, ad quæ tamen perpetranda fuerant prædestinati: Quare? Quia non ea fecerunt bonè, sed malè: id est, contra legem Dei, malitiæque sua opus Dei contaminarunt.

PROINDE diligenter obseruandum, quod est in Actuum 2. Ibi Petrus, etsi Iudæos dixerit impleuisse consilium Dei, crucifigendo Christum (quia ad hoc faciendum fuerant prædestinati:) tamen eos accusat peccati maximi, & vt resipiscant hortatur. Quid ita? Quia consilium & opus Dei, sua malitia infecerunt. Odio enim in Christum, non vt obedirent Deo, curarunt Christum crucifigendum.

VIDE TUR quæstio hæc vtrūque explicata: An omnia, quæ agunt homines, tam mala quàm bona, contineantur in prædestinatione. De electorum operibus bonis nulla, est apud pios dubitatio: De operibus verò malis, Scripturæ affirmant contineri (quæ scilicet opera Dei sunt) in prædestinatione: quæ verò sunt peccata, continentur in præscientia, non in prædestinatione: Permissio tamen peccati, quia illa est bonum opus Dei, continetur in prædestinatione.

DE PRAEDESTINATIONE SANCTORVM

CAPVT IV.



Am vt ad quartum Caput veniam, cū duplex sit prædestinatio, vt ex definitione allata patet, vna piorum, altera impiorum: de impiorum prædestinatione in 6. capite Iesaiæ dicemus: de prædestinatione verò Sanctorum nunc videndum est diligentius, quid sit, & quid de ea Sacre literæ tradant.

MVLTÆ & variæ à Patribus definitiones allatæ fuerunt. Augustinus de Prædestinatione sanctorum cap. 10. sic definit: Prædestinatio Dei, quæ in bono est, gratiæ est præparatio: gratia autem ipsius est Prædestinationis effectus. Idem de bono perseverantiæ, cap. 14. sic: Prædestinatio est præscientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur. Item de prædestinatione

sanctorum: Prædestinatio est propositum miserendi. Item de fide ad Petrum: Prædestinatio est gratuita donationis præparatio.

FVLGENTIVS ad Monimum lib. 1. Neque enim alia est (inquit) prædestinatio, nisi futurorum operum eius æterna præparatio: in qua nullius causa mali poterit inueniri, quia ex voluntate Dei nunquam processit origo peccati. Item: Ipsa est enim prædestinatio Dei, sempiterna scilicet dispositio futuri operis sui. Item lib. 2, Prædestinatio Dei nihil est aliud, quàm præparatio operum eius, quæ in æterna sua dispositione, aut misericorditer se facturum præsciuit, aut iuste.

THOMAS Aquinas. 3. p. q. 24. art. 1. Prædestinatio propriè accepta, est diuina quædam præordinatio ab æterno, de iis quæ per gratiam Dei sunt facienda in tempore. Item 1. p. q. 23. art. 2. Prædestinatio est quædam ratio ordinis aliquorum in salutem æternam, in mente diuina existens.

Nos aliqua suprà dicta repetemus: & inde definitionem prædestinationis sanctorum colligemus.

Apostolus Rom. 8. cum loquitur de prædestinatione sanctorum, utitur verbo *προορίζων* ἐς *δόξαν* & *δόξα* & *δόξα* & *δόξα*. Ita ad Ephes. Elegit nos ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & irreprehensibiles in conspectu eius, in charitate: *προορίσας ἡμᾶς ἐς ἑαυτὴν*. Verbum autem hoc, ut suprà dixi, duo significat: Primò, præfinire & constituere apud te aliquid agere, antequam agas. Hoc pacto significat *προορισμός* decretum Dei, quo statuit quosdam sibi in filios eligere. Secundò significat, quamque rem in suum finem destinare, atque ita à reliquis rebus segregare, seligeréque: quod Moyses per Hebraicum verbum (*habhdel*) in Leuit. 20. & Num. 16. exprimit, cum loquitur Deus in Moysen de electione & segregatione suorum à reliquis populis, deputationéque ad certum suum finem & usum, à quo alieni sunt gentiles. Hoc pacto *προορισμός* significat quorundam hominum à reliquorum hominum colluie separationem seu electionem, atque in certum suum usum (nempe, ut sint vasa misericordiæ, membra Christi, templa Spiritus S.) & in certum finem (nempe ad vitam æternam) deputationem. Sic ergo definiri potest.

Definitio.

PRÆDESTINATIO sanctorum, est æternum immutabileque decretum, quo Deus citra vlla hominum merita, apud se constituit, certos quosdam homines in vitam hanc suo tempore productos, & opera diaboli in peccatum & mortem vnà cum aliis lapsos, gratis à peccato & morte, atque à reliqua hominum colluie segregatos, Christo inferere, perque fidem iustificare: & Christo inuitos ac iustificatos regnare, & ad suâ placita sanctificare: sanctificatos perpetua quotidianorum peccatorum condonatione, perpetuâque Spiritus sancti gratia comitari: denique uti Dei filios, ac regni celestis cum Christo hæredes, beata & æterna vita donare: totumque hoc, ut in iis misericordia & bonitas Dei perpetuò illustretur, ipsèque Deus semper glorificetur.

DESCRIPTIO hæc prædestinationis sanctorum à superiore descriptione, quantum ad eam partem, quæ sanctorum est, attinet, nihil distat, nisi quòd hac multos effectus gratiæ ordine illo, quo etiam solet Deus in electis eos operari, explicauit: cum ibi simpliciter dixerim, tum gratia, tum vita æterna donare. Sunt autem hi effectus gratiæ Dei.

1. PRIMVS: *A peccato & morte, per sanguinem Christi liberare*. Hoc factum est in cruce, cum Christus sanguine suo electos Patri reconciliauit: & chirographum decreti, quod erat aduersus nos, deleuit, & cruci affixit.

2. SECUNDVS: *Per Spiritum sanctum suo tempore vocare*: nempe vocatione efficaci. Hæc enim fit per Spiritum sanctum, internè vocantem. *Suo tempore*: quoniam non omnes electi eodem tempore efficaciter vocantur, sed suo quisque tempore: à Patre scilicet præfinito.

TERTIVS:

TERTIVS: *A reliqua hominum colluvie segregare.* Ante vocationem enim electi mixti sunt cum reprobis, & corpore & Spiritu: cum eadem sapiant quæ alij, quæ scilicet sunt carnis. Vocati autem per Spiritum sanctum segregantur: id quod Christus in Evangelio vocat, eligere de mundo. 3.

QUARTVS: *Christo inserere:* quod fit, cum participes simus Spiritus Christi, de qua insitione Paulus Rom. 6. 4.

QVINTVS: *Iustificari.* Infiti Christo, & donati eius Spiritu, per fidem apprehendimus remissionem peccatorum, & iustitiam Christi: id est, sentimus nos Deo patri propter Christum gratos, charos, dilectos esse factos. 5.

SEXTVS: *Regnare.* Iustificati enim per Spiritum sanctum, regeneramur ex filiis Adæ in filios Dei, & in nouam creaturam. 6.

SEPTIMVS: *Ita regeniti sanctificamur ad ea faciendā, quæ Deo placent:* Hoc est, ad studium bonorum operum, & obedientiam legis. 7.

OCTAVVS: Sed quoniam filij Dei quotidie peccant ex imbecillitate carnis, propter quæ peccata opus habent quotidie dicere, Dimitte nobis debita nostra: ideo sequitur alius effectus, qui est, quod Deus comitatur iustificatos perpetua quotidianorum peccatorum *Remissione:* hoc est, non imputat illis peccata, qui sunt in Christo: ut est Rom. 8. 8.

NONVS: *Præsentia Spiritus sancti nunquam deseruntur.* Is enim electos, iustificatos, & Christo infitos, gubernat, regit, & ne pereant, defendit & custodit. Ierem. 32. Dabo timorem meum in corda eorum, ut non recedant à me. 9.

DENIQUE, *Vita æterna donat:* non solum animos electorum (id quod fit, cū hinc auolant ad cælum) sed etiam corpora: id quod fiet in resurrectione, quando exuta omni mortalitate, induentur immortalitate. Hæc autem ita se habere, nemo mediocriter in pietate Christiana institutus ignorat. Quare ne in re perspicua immoremur, Testimonia Scripturarum, quibus singula hæc gratiæ effecta comprobem, non citabo. Quasdam tantum conclusiones de Prædestinatione Sanctorum scitu necessarias, & consolationis plenas, ex hac descriptione colligemus: & quæ opus habuerint probatione, testimoniis Scripturarum & Patrum confirmabimus.

PRIMUM: Ex eo, quod diximus, prædestinationem esse æternum decretum, colligimus: falsum igitur esse, quod quidam Sophistæ negarunt, Deum non prædestinasse in præterito, sed prædestinare semper in præsentī: cum Deus nō sit sub tempore. Contrā Paulus in præterito semper profert, Elegit nos, prædestinauit nos, & quidem ante mundi constitutionem. Et si enim Deus non sit sub tempore: nos tamen, qui prædestinamur, sumus sub tempore: ita ut, si hodie (verbi gratia) prædestinemur, cras timus prædestinati necesse sit. 1. Fuimus prædestinati ab æterno.

DEINDE colligimus: Si est æternum decretum, ergo ab æterno fuimus Deo chari & dilecti. Testimonia extant in Scripturis. Iohan. 17. Dilexisti eos, sicut & me dilexisti. Dilexisti autem me ante mundi constitutionem. 2. Timoth. 1. Gratiā hanc nobis datam ante tempora æterna, manifestatam autem per apparitionem Iesu Christi, scribit Apostolus.

SECUNDVM: Ex eo, quod diximus, decretum hoc esse immutabile, colligere promptum est: salutem electorum esse certissimā: Ideoque electos perire non posse. Hoc confirmari potest infinitis locis Scripturarum. Præter illa autem loca, quæ extant in Veteri testamento, præsertim in Psalmis & Prophetis, de certissima electorum salute: in Nouo testamento passim occurrunt hac de re testimonia. 2. Salus Electorum certissima.

Matth. 24. de seductione, quæ fiet per Antichristum, ait Christus: ita ut si fieri possit, in errorem etiam ducantur electi. Ergo, cum non possit fieri ut seducantur, certa est illorum salus.

Matth. 16. Ecclesiam, ideoque electos, fundatos esse ait suprà petram, ita ut portæ inferorum non possint præualere aduersus eam.

Iohan. 10. Nemo potest rapere eas (oues meas) de manu mea. Item 6. Omne quod dedit mihi Pater, ad me veniet: & ego non eiiciam foras.

Ibidem: Hæc est voluntas Patris mei, ut omne quod dedit mihi Pater, non perdam ex eo. Euangelium Iohannis refertissimum est iis sententiis, de certitudine salutis electorum.

Rom. 8. Quos prædestinauit, hos vocauit, iustificauit, glorificauit. Quid ergo dicemus? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Certus sum, quod neque mors, neque vita, &c. poterunt nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.

Item cap. 11. Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei.

2. Timoth. 2. Firmum stat fundamentum, habens signaculum hoc: NOUIT Dominus qui sint sui.

1. Iohan. 2. Exierunt à nobis, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum. Qui ergo electi sunt ad vitam æternam, non possunt omnino deficere à corpore Christi, quod est Ecclesia sanctorum.

3.
Certus est
electorum
numerus.

TERTIVM: Ex eo quod diximus, certos quosdam homines fuisse prædestinatos ad vitam; colligimus, certum esse numerum electorum, qui nec augeri nec minui possit. Confirmatur etiam Scripturarum testimoniis. Iohan. 13. Ego scio quos elegerim. Ergo certus est numerus.

Iohan. 10. Christus de ouibus dicit, quod pastor eas vocat nominatim. Ergo certus numerus.

2. Timoth. 2. Signati sunt omnes electi hoc sigillo, Nouit Dominus qui sint sui. Ergo certus est numerus.

Luc. 10. Nomina vestra scripta sunt in cælis. Ergo certus numerus apud Deum.

Augustinus de Corrept. & Gratia cap. 13. Hæc de iis loquor, qui prædestinati sunt in regno Dei: quorum ita certus est numerus, ut nec addatur eis quisquam, nec minuat ex eis. Falsum est ergo, quod docent iam quidam, omnes pro miscuè esse prædestinatos, hac conditione, ut quicumque crediderit saluetur. Contrà se res habet: Quidam enim sunt ita ad vitam prædestinati, ut quia prædestinati sunt, sint etiam credituri, & credendo in æternam vitam ingressuri. Alij verò non sunt ad vitam prædestinati: ideo etiam non sunt credituri, ac proinde nec in æternam vitam peruenturi. Qui enim prædestinati sunt ad vitam æternam, sunt etiam prædestinati ad fidem habendam.

4.
Electio, tota
gratuita
est.

QVARTVM: Ex eo quod diximus, citra vlla hominum merita Deum prædestinasse, quos prædestinauit ad vitam: colligimus, prædestinationem esse totam merè gratuitam: Deumque à nulla re permotum ad nos prædestinandos ad vitam, quam à sua mera voluntate, seu à suo erga nos æterno amore, sed in Christo. Hoc confirmandum est pluribus argumentis & testimoniis Scripturarum: idque, quoniam & hoc maximi momenti est, totaque ratio prædestinationis sanctorum in hoc vno sita est: & multos, eosque illustres viros & Patres habemus, qui sententiæ nostræ aduersari videntur. Iudicat enim humana prudentia, Deum eos ad vitam æternam prædestinasse, quos præuidit Euangelio credituros, legemque Dei seruatueros (quasi verò non etiam ad fidem & bona opera prædestinarit, quos ad vitam prædestinauit) atque ita totam Dei prædestinationem, à præiis nostris meritis dependere. Fuerunt autem eorum, qui hæc iudicarunt, sententiæ quatuor, hæcque diuersæ.

Q. An ex
præiis o-
peribus, fa-
cta sit præ-
destinatio:
Diuerse
sententiæ.

1.

PRIMA: Quidam (& hic fuit Origines) somniarunt, omnes hominum animas initio simul creatas fuisse in cælo, ibique alias peccasse, alias non peccasse: pro
diuer-

diuersitate autem meritorum, diuersa etiam corpora, & diuersos status in hoc mundo fortiri. Deum igitur merita cuiusque animæ, antequam vniatur corpori, præexistentis in cælo, videntem, quosdam prædestinasse ad mortem, quosdam ad vitam, pro diuersitate meritorum. Sed hanc excludit Apostolus Rom. 9. Cum nondum nati essent: aut quidquam boni vel mali egissent, vt secundum electionem propositum Dei maneret: non ex operibus, sed ex vocante dictum est, Maior seruiet minori. Sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui.

Alij, Deum spectasse cuiusque merita, quæ quisque habiturus erat in hac vita, in corpore iam existens: atque iuxta illa præuisa merita prædestinasse quoque aliquos ad vitam, aliquos verò ad mortem.

In hac sententia fuerunt multi Patres: Immò & Augustinus aliquando hoc sensit, exponens verba illa, Iacob dilexi, Esau autem odio habui, lib. 83. Quæstionum, quæstion. 68. Tom. 4. habet hæc verba: Cui vult miseretur Deus, & quem vult indurat. Sed hæc voluntas Dei iniusta esse non potest. venit enim de occultissimis meritis. Quin & ipsi peccatores, cum propter generale peccatum vnâ massam fecerunt, non tamen nulla inter eos est diuersitas. Præcedit ergo aliquid in peccatoribus, quo quamuis nondum sint iustificati, digni efficiantur iustificatione: & item præcedit in aliis peccatoribus, quo digni sint obtusione. Hæc ille. Sed hanc postea sententiam, quod ad primum membrum attinet: idem Augustinus damnauit, docens non ex meritis nostris, sed ex gratia Dei esse, quod simus prædestinati ad vitam æternam: vt postea ostendemus ex Augustino. Hanc etiam confutauit Aquinas.

Alij, Deum spectasse in vnoquoque homine proprium liberi arbitrij vsum, an esset vsurus bene sua gratia, & fidẽ præstiturus Euangelio, nec ne: Et prout ea quemque bene vsurum præuidit, ad hanc percipiendam illum prædestinasse. In hac sententia fuit Ambrosius, ad Rom. 9. loquens enim in Dei persona, ait: Dabo gratiam ei, quem scio toto corde reuersurum ad me, post errorem. Augustinus etiam aliquando ita sensit: vt patet in Epistola ad Xistum. Sed hanc etiam sententiam ipse retractauit, & apertis Scripturarum testimoniis ostendit, etiam bonum vsum liberi arbitrij esse effectum prædestinationis: ideo non potuisse esse causam aut meritum, propter quod Deus prædestinauerit quempiam ad gratiam & ad gloriã. In libro quoque de Prædestinatione sanctorum, hunc errorem refutauit. Quin etiam Thomas Aquinas hunc refutat in 1. p. q. 23. art. 5.

Alij volunt, causam aliquam seu rationem esse in Deo, præter eius voluntatem, cur vnum elegerit, alterum reprobavit: Sed causam & rationem hanc esse nobis occultam. Et hoc innuere Apostolum Rom. 11. Cum verba de hac quæstione faciens, dicit inscrutabilia esse Dei iudicia, & imperuestigabiles vias eius. Si esset (inquiunt) mera Dei voluntas causa, cur quidam ad vitam, alij mortem sint prædestinati: non essent iudicia Dei inscrutabilia, quia posset quisque dicere, causam esse voluntatem Dei.

In hac sententia est Bonauentura, & citat dictum Augustini, quod sententiæ huic fauere videtur, ex libro Retract. Deus proponit, eligit & reprobatur veritate certissima, & à nostris sensibus remotissima. Sententia hæc videtur aliquibus incongrua non esse: sed refutatur à Richardo, & aliis. Quod citat ex Paulo ad Rom. 11. Si mera Dei voluntas causa esset prædestinationis, iudicia Dei essent scrutabilia, quia assignari causa iudiciorum Dei posset: nihil est. Nam primò, si etiam aliqua esset ratio ex parte nostra, cur vnum eligeret, alterum reprobareret: non essent inscrutabilia. possemus enim dicere, aliqua in hoc futura merita præuidisse Deum, non in illo. Secundò, ipsa voluntas Dei per se iustissima est, & ratio rerum omnium. Excludat ergo omnia nostra merita, & vsum liberi arbitrij, & quicquid in nobis est: postea dicat, voluntatem Dei esse causam rationabilem: dabimus.

*Ortho-
doxa sententia*

CONCLUSIO igitur esto, Prædestinationem sanctorum totam esse gratuitam, sanctosque ad vitam æternam, ad gratiam, & omnia Dei dona prædestinatos fuisse gratis: hoc est, citra vlla sua merita: vel præterita, hoc est, quæ præcesserint in cælo cuiusque hominis natiuitatem, vt finxit Origenes: vel quæ futura erant in hac vita: Et citra præuisum bonum vsum liberi arbitrij, & citra omnem in nobis causam, præter voluntatem Dei, & meritum Christi.

Hæc enim conclusio est Pauli, in Epistolis, ad Romanos, ad Ephesios, vbi-que: Est Augustini in lib. de Prædestinatione sanctorum, & de Bono perseuerantie: denique in libris ferè omnibus, quos edidit post susceptum episcopatum. Est Pro-
speri, est Fulgentij, est Honorij: est etiam saniorum Scholasticorum, Thomæ, Ri-
chardi, Vldarici in sua summa, Ægidij Romani, Gregorij Ariminensis.

ARGUMENTA autem ad hanc quæstionem probandam, ex variis locis sa-
crarum Scripturarum sumuntur. Referam in summa, quæ Augustinus ad hanc pro-
bandam adfert in lib. de Prædest. sanctorum, & bono perseuerantiæ.

*Prædestina-
tionem san-
ctorum to-
tam esse gra-
tuitam:
Argumen-
tum pri-
mum.*

ARGUMENTUM primum, ab effectis prædestinationis ad ipsam causam su-
mitur. Eo modo Deus decreuit ab æterno nobis dare sua beneficia, & gratiã & glo-
riam, quo modo illa dat. Si enim gratis tibi librum dono, proculdubio gratis quo-
que dare decreui. Atqui gratiam & gloriam, & omnia bona, quæ nobis dat Deus,
dat gratis, citra vlla merita nostra, & citra vsum bonum liberi arbitrij, & citra vllam
nostram rationem, præter Dei voluntatem & meritum Christum. Minorem hanc
probat Augustinus, per totum librum 1. & 2. hoc est, de Prædestinatione sancto-
rum, & de Bono perseuerantiæ, hoc modo: Fides, quæ est initium & ostium salutis:
opera fidei, quæ sunt via & iter ad salutem: finis fidei, nempe perseuerantia in fide
vsque in finem, quæ quidem perseuerantia est postremus terminus itineris ad salu-
tem, seu ad vitam æternam: denique ipsa quoque vita æterna, nobis à Deo donan-
tur gratis, non propter nostra merita, nec propter bonum vsum liberi arbitrij no-
stri. Ergo gratis quoque, non propter nostra merita, nec propter præuisum bonum
vsum liberi arbitrij, Deus ea nobis dare ab æterno decreuit, & prædestinavit. Hoc
est primum argumentum Augustini.

Quòd verò & fides, & opera fidei, & finis fidei, id est, perseuerantia, & deniq;
vita æterna gratis donentur à Deo, multis è Scriptura citatis locis, & ductis argu-
mentis probat. Ac primò fidem gratis donari, iis euincit locis, qui docent eam esse
merum Dei donum.

*Fidem esse
Dei donum
gratuitum*

Iohan. 6. Hoc est opus Dei, vt credatis in illum. Item: Nemo venit ad me, nisi
Pater traxerit eum. Quæ verba perpendens D. Augustinus, contra duas epistolas
Pelagianorum lib. 1. cap. 19. ait, Christum dicere Traxerit, non Duxerit: Cur? Ne
vllam nostram præcedere credamus voluntatem, aut meritum. Quis enim trahi-
tur (inquit) si iam volebat? & tamen nemo venit, nisi velit: trahitur miris modis,
vt velit, ab illo, qui nouit intus in ipsis hominum cordibus operari: non vt homines
(quod fieri nequit) nolentes credant, sed vt volentes ex nolentibus fiant. Hæc
Augustinus.

Ephes. 2. Gratia salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum est.

At Pelagiani excipiebant, Fidem quidem esse donum Dei, quoad incremen-
tum: sed non quoad initium. sic enim sentiebant, quod etiam multi hodie: Deus
primò facit, vt prædiceretur nobis Euangeliũ: hoc est, gratia Dei. Secundò, vbi audi-
uimus nos Euangelium, in nostra potestate situm est, velle illi assentiri, vel non as-
sentiri. Tertiò, Deus verò, vbi videt hanc nostram bonam voluntatem, quæ est ini-
tium fidei: donat perfectionem fidei, sine quo augmento illud fidei initium non
prodesset. Augustinus igitur multis rationibus probat, etiam initium fidei donum
esse Dei: idèòq; gratis dari. quarum rationum hæc est prima.

IPSVM

Ipsū incrementum fidei, quod ō Pelagiani dicitis donari, non autem initium: vel est gratia Dei, vel non est gratia Dei. Si non est gratia: Ergo fides nullo modo erit gratia Dei, sed à nobis. Si verò augmentum, gratia est Dei: & hoc augmentum datur alicui, quia habet initium, & non datur alij, quia non habet initium, quod à nobis esse dicitis: ergo gratia dabitur secundum merita: id est, augmentum fidei, quod est gratia Dei, propter initium fidei, quod est opus nostrum. Atqui hoc absurdum est, & hæreticum: gratiam dari secundum merita: Alioqui enim gratia non esset gratia: id quod etiam Pelagiani in Palæstinæ Synodo victi rationibus, damnarunt, licet non ex animo. Ergo falsum est, initium fidei à nobis esse, non autem à Deo. Fide, etiā quoad initium, esse donum Dei Ratio. 1.

Initium fidei est, cogitare ea quæ sumus credituri. Augustinus: Quid enim est credere, nisi cum assensu cogitare? Atqui non possumus à nobis cogitare, quæ sunt nobis ad credendum à Deo proposita. Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est. Ergo initium fidei à nobis non est, sed à Deo. 2. 2. Cor. 3.

Philip. 1. Vobis datum est pro Christo, ut credatis in eum: non ait, ut perfectius credatis: sentiens, & initium & incrementum fidei esse à Deo. 3.

Quod Deus promittit, ipsemet præstat, non alij: alioqui non esset promissio, sed prædictio. Atqui promissit fidem gentibus, & electis omnibus. 4. Ierem. 31.

Deus vel potest initium fidei dare, sicut & augmentum: vel non potest. Si non potest, Ergo Deus non est omnipotens: Et cum tu possis eam habere ex te, non ex Deo, potentior eris. Si potest: cur ergo non fateris, etiam initium fidei à Deo dari? Quid enim (ait Augustinus) tu tibi primas vendicas partes, ut nouissimas ab illo merearis accipere? Quid aliud ais hoc modo, nisi ut afferas gratiam secundum merita nostra dari? Atque ita gratia iam non sit gratia: redditur namque hoc pacto, non donatur gratis. Debetur enim credenti, ut à Domino ipsa fides augeatur: & sit merces fidei cæptæ, fides aucta. 5.

1. Cor. 4. Quid habes, quod non accepisti? Hac autoritate (ait Augustinus) utebatur D. Cyprianus, ad docendum, quod in nullo gloriandum quando nostrum nihil est. Hoc loco & testimonio Cypriani conuictus Augustinus, coactus fuit, errorem suum retractare: quo, antequam esset Episcopus, dixerat, fidem à nobis in nobis esse: per hanc verò impetrari à Deo reliqua dona, sanctitatem, iustitiam. Ipse hoc fatetur in libro de Prædestinatione sanctorum, cap. 3. Si enim dicas, Omnia alia à Deo habeo, fidem non habeo: tibi statim dicet Apostolus, Quid habes, quod non accepisti? Si dicas, Augmentum fidei habeo à Deo, initium à meipso: protinus dicet Apostolus, Quid habes, quod non accepisti? Et probat Augustinus de Prædestinatione sanctorum cap. 5. Paulum hic loqui de donis spiritualibus, quorum primum est fides. Videte locum. 6.

Coloss. 4. Orationi instate, orantes simul & pro nobis, ut Deus nobis aperiat ostium verbi sui. Augustinus de Prædestinatione sanctorum cap. 20. Quomodo aperitur ostium verbi, nisi cum sensus aperitur audientis, ut credat? Concludit dicens: Quid est igitur, Orantes simul & pro nobis, ut aperiat ostium verbi: nisi apertum testimonium, & apertissima demonstratio, etiam ipsum fidei initium esse donum Dei? 7.

Ad prædicationem Petri multi auditores confluunt, & omnes audiunt. Quidam tamen credunt, alij non credunt. Vnde hæc diuersitas? Dices: Quia illi volunt credere, isti nolunt. Bene dictum. Sed ulterius querit Augustinus: vnde fit, ut isti velint, hi autem nolint credere? Oportet altius ascendere, ad causam scilicet superiorem, quæ voluntatem hominis mouet: hic est Deus, de quo Philipp. 2. Deus operatur in nobis velle & perficere. Causa igitur est, quia preparatur voluntas à Deo in illis, ut velint: non præparatur in istis. Causa est, quia Deus operatur in illis velle, in istis 8.

in istis non operatur. Causa est, quia Deus illorum voluntates mouet efficaciter, istorum non mouet.

At quomodo mouet voluntates hominum Deus? Respondet Augustinus: Miro modo, intus docendo & trahendo.

Iohan. 6. Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum. Ibidem: Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me. Ex quibus duobus locis Augustinus haurit tres Conclusiones.

1. Omnis qui audiuit à Patre, & trahitur, venit ad Christum: hoc est, Nullus est qui audiat, qui trahatur, & non veniat.

2. Omnis qui venit ad Christum, ideo venit, quia audiuit à Patre, & didicit, & trahitur.

3. Omnis qui non venit ad Christum, ideo non venit, quia non audiuit à Patre, si enim audiuisset, & didicisset, venisset. Cur autem quosdam trahat, alios non trahat: hoc venit de iudicio, illud de misericordia. Ratio hæc, est in lib. de Prædest. Sanctorum cap. 8.

9. Ephes. 6. Pax fratribus & charitas, cum fide, à Deo patre. Augustinus de Bono perseverantiæ, cap. 17. A quo igitur pax & charitas, ab eo est & fides. Charitas autem ex Deo est, ait Apostolus, & Iohan. 1. Epistola, cap. 4. At (inquires) Christus præcipit ut credamus: Credite Euangelio: Si credideris, saluaberis. In nostra ergo potestate situm est credere. Respondet Augustinus de Prædestinatione sanctorum cap. 19. Et facere quod iubet, & accipere quod promisit, utrumque Dei donum est. Sed ideo & præcipiuntur nobis, & dona Dei esse monstratur, ut intelligatur, quod & nos ea facimus, & Deus facit ut illa faciamus. Sic in Ezech. ait: Ego faciam, ut faciatis id est, Ego faciam vos facere, quæ iubeo ut faciatis. Vnde Augustinus alibi, alloquens Deum ait: Da quod iubes, & iube quod vis. His atque aliis multis rationibus probat Augustinus, fidem, & quo ad initium, & quo ad incrementum, totam esse merum Dei donum, ideoque dari gratis à Deo.

II. Quid verò & bona opera, quæ sunt effecta fidei, dona sint Dei, primò quidem hinc patet: quia si causa, quæ est fides, donum Dei est, ergo & eius effecta. Sed Augustinus adfert alias rationes, & testimonia è Scripturis. Sunt autem hæc ferè.

Iacobi 1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum, de sursum est descendens à Patre luminum.

Philip. 2. Deus operatur in nobis velle & perficere.

1. Corinth. 4. Quid habes, quod non accepisti?

Sap. 8. Et ut sciui, quoniam aliter non possum esse castus seu continens, nisi Deus det (& hoc ipsum erat summa sapientia, scire cuius hoc esset donum) adij Dominum, & deprecatus sum illum.

Ezech. 36. Faciam ut ambuletis in præceptis meis.

Ecclesia rogat: Da, ut cogitemus, te inspirante, quæ recta sunt: & te gubernante, eadem faciamus.

Ephes. 2. Ipsius opus sumus, creati in operibus bonis, quæ præperauit ut in illis ambulemus. Ergo etiam effecta fidei, id est, bona opera, dona sunt Dei.

III. Quid verò etiam perseverantia in fide usque in finem, sit donum Dei gratuitum, probat multis rationibus in libro de Bono perseverantiæ. Et fortè titulus erat, DE DONO PERSEVERANTIÆ. nam & in 1. cap. initio sic ait: Perseverantiæ donum, quæ usque in finem perseveratur in Christo. Rationes Augustini, & testimonia è Scripturis, hæc sunt.

Perseuerantiæ esse donum Dei.

Philip. 1. Vobis donatum est pro Christo, non solum ut credatis in illum, sed etiam ut patiamini pro illo. Horum vnum (ait Augustinus) pertinet ad initium, alterum

alterum ad finem: vtrumque tamen est donum Dei, vtrumque donatum. initium Christiano, est credere in Christum: finis melior nullus, quàm pati pro Christo.

1. Pet. 2. Melius est beneficientes, si velit voluntas Dei, pati, quàm malefacientes. Augustinus: Cum dicit (inquit) Si voluntas Dei velit, ostendit diuinitus donari omnibus sanctis, vt pro Christo patiantur: illis scilicet, qui patiuntur pro eo: quia multi, licet non patiantur, tamen ad regnum cælorum perueniunt.

2. Thess. 2. Deus pater noster exhortetur corda vestra, & confirmet in omni opere & sermone bono.

Philip. 1. Qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet vsque in finem.

1. Pet. vlt. Deus autem omnis gratiæ, ipse perficiet, firmabit, solidabitque.

Psal. 79. Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, & super filium hominis, quem confirmasti tibi, & non discedimus à te. Augustinus de Bono perseuerantiæ, cap. 7. Quis est iste vir dexteræ Dei? Iste non est Adam primus homo, in quo discessimus ab eo (scilicet Deo) sed est Christus, per quem, opere ceu manu Dei fit, vt nō discedamus ab eo. Manus ergo (inquit) Dei est ista, non nostra, vt non discedamus à Deo. Perseuerantia igitur donum Dei est.

Ierem. 32. Dabo timorem meum in corda eorum, vt non recedant à me.

PETIMVS in oratione Dominica perseuerantiam, idque in omnibus ferè petitionibus, quæ ibi continentur: vt Cyprianus ostendit in sua expositione orationis Dominicæ. ergo donum Dei est.

QVOD etiam vita æterna sit donum Dei, testatur Apostolus Rom. 6. Gratia Dei, vita æterna.

QVOD si quis dicat, vt Thomas dixit, prædestinationem Dei, quantum ad gratiam, gratuitam esse: quia prædestinavit eam dare gratis, quod etiam nomen ipsum docet: sed quantum ad gloriam, non esse gratuitam, quia hanc reddit meritis, quæ ex gratia habemus: Respondeo, Hoc falsum esse: tum quoniam nulla nostra sunt merita, si propriè loquamur, sicut idem Thomas fatetur: tum, quoniam Paulus eam vocat gratiam. Postremò, quoniam contrà potius Deus ideo prædestinavit nobis dare gratiam, quia voluit vt per illam consequeremur gloriam: igitur gratis vitam dare decreuit. sed quia ad illam consequendam necessaria est gratia, vt fides: ideo hanc quoque donare constituit.

REPETAMVS igitur argumentum primum, quo probare instituimus prædestinationem totam esse gratuitam. Eo modo decreuit Deus dare nobis sua beneficia, gloriam & gratiam, quo etiam illa dat. Dat autem hæc gratis. dat enim fidem, tam quoad initium, quàm quoad augmentum, gratis: dat opera fidei gratis: dat finem fidei, id est, perseuerantiam gratis. Ergo hæc dare gratis prædestinavit. Prædestinatio igitur tota est gratuita. Hoc est primum argumentum Augustini, & certè *ἀπόδειξις* est irrefutabilis.

ALTERVM argumentum, quo probat prædestinationem sanctorum esse gratuitam, à pueris ducitur: est autem hoc.

Filij fidelium infantes hinc ad cælum migrant: ergo ad illud fuerunt prædestinati. Quibus meritis? Non suis præteritis, quia nulla habuerunt: non futuris, quia nulla habituri erant: neque propter præuisum bonum vsum liberi arbitrij, quia ad illum non peruenerunt, morte præuerti. Quid ergo? Nunquid fortè prædestinavit eos propter merita, quæ habuissent, si vixissent? Quidam Pelagiani hoc dicebant. Sed diluit Augustinus hanc exceptionem lib. 1. de Prædest. sanctorum cap. 12. & de Bono perseuerantiæ cap. 9. vsque ad 11. Nemo vel punitur, vel præmium accipit, pro iis vel malis vel bonis, quæ acturus erat: & Rom. 14. Omnes astabimus ante tribunal Christi, vt quisque referat, prout gessit in corpore, siue bonum, siue malum. Ait, gessit, non autem gesturus erat.

SECVN-

IV.

Vitam æternam donum esse Dei.

Rom. 6.

Argumentum secundum: Prædestinationem sanctorum esse gratuitam.

SECUNDO sequeretur, quod Tyrij & Sidonij non essent condemnandi, quia acturi fuissent poenitentiam, si virtutes factæ fuissent inter illos, sicut in Capernaum, Corazim & Bethsaida.

TERTIO, igitur Christus prævideret futurum id, quod nunquam est futurum: nempe futura opera puerorum, quæ nunquam erunt: ideoque prævideret falsum, si propter opera seu merita, quæ habituri fuissent, si vixissent, pueros prædestinasset: quia nunquam fuissent. Pueri ergo propter solam Dei gratiam prædestinati sunt ad vitam æternam. Si pueri, ergo & adulti: quia vna est omnium conditio & ratio. Ideo Augustinus de Bono perseuerantiæ, cap. 11. Ex ore infantium & lactentium Deus perfecit laudem gratiæ suæ & gloriæ: ut quod in iis fieri videmus, hoc etiam in maioribus fieri non dubitemus. Legitote caput ipsum 11.

Argumentum tertium

TERTIUM argumentum, ab exemplo Christi ducitur. Christus quæ homo, prædestinatus fuit à Patre, ut conciperetur de Spiritu sancto, & nasceretur, & esset filius Dei: Prædestinatus est, inquam, ex mera gratia & voluntate Patris, sine ullis suis meritis. Ergo neque nos prædestinati sumus ex meritis, sed ex mera gratia. Legitote hoc argumentum Augustini, in lib. de Bono perseuerantiæ cap. 24. Quisquis (inquit) fidelis vult prædestinationem bene intelligere, attendat ipsum (scilicet Christum) atque in illo inueniat seipsum.

Testimonia Scripturarum

SUNT postea multæ autoritates Scripturarum, quas citat Augustinus sparsum. 3. Reg. 19. & citatur ad Rom. 11. à Paulo, ad hoc propositum de prædestinatione Reliqui mihi 7000. virorum, qui non curuarunt genua coram Baal. Verba hæc perpendens Augustinus de Bono perseuerantiæ, cap. 18. Non ait (inquit) relictæ sunt mihi, aut reliquerunt se mihi: sed Reliqui mihi. Ergo gratis reliqui.

Iohan. 15. non Apostolis tantum, sed omnibus piis ait Christus: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Augustinus de Prædestinatione sanctorum, cap. 17. Si autem ideo Deus eos prædestinauit, & elegit, quia vel credituri erant, vel bene operaturi: Ergo ipsi eum prius elegerunt, credendo in eum, ut eligi mererentur ab eo. Aufert autem hoc omnino, qui ait: Non vos me elegistis Significat Christus, in se ipsis nihil habuisse, quare eligerentur, nisi ipse sua gratia illos anteuertisset. Videte ibi, quæ circa hoc argumentum sequuntur. Consonat iis, quod contra Iulianum Pelagianum lib. 5. ca. 3. scribit: Nullum elegit dignum, sed eligendo effecit dignum: nullum tamen punit indignum.

Rom. 8. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti.

Rom. 9. locus est proprius de hac re: Cum nondum nati essent, aut egissent aliquid boni vel mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est: Maior seruiet minori.

Ephes. 1. Elegit nos in Christo, ante constitutionem mundi, ut essemus sancti. Cum ait, In Christo, excludit omnia nostra merita, & dignitatem. Est enim, ac si dicat: Quia in nobis ipsis non eramus tanta excellentia & gratia digni: ideo in Christo, & in gratiam Christi, ad tantam dignitatem, excellentiam & hæreditatem, fuimus electi: deinde in Christo, hoc est, ut per Christum, & propter merita Christi seruariemur.

Item: Elegit nos secundum beneplacitum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ: imò præparauit opera, in quibus ambularemus. Igitur non propter opera seu merita fuimus electi.

Item, Elegit ut essemus sancti, non quia eramus: igitur non propter merita electi sumus, sed ut haberemus merita.

2. Tim. 1.

2. Timoth. 1. Vocauit nos vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam, quæ data est nobis ante tempora æterna.

Ita Ephes. 1. secundum propositum voluntatis suæ, quod proposuerat in semetipso. Quid est in semetipso? Quasi dicat: Extra se nihil considerauit, cuius rationem haberet in nobis eligendis.

CONCLVDIT Augustinus, electionem sanctorum totam esse gratuitam. Ita contra Iulianum Pelagianum lib. 6. cap. 8. concludit: Quos elegit ante mundi constitutionem, per electionem gratiæ: non ex operibus vel præteritis, vel præsentibus, vel futuris: alioqui gratia iam non esset gratia. Hæc est doctrina sacre Scripturæ, & Catholicæ Ecclesiæ: totam salutem nostram esse gratuitam: absolutamque causam nostræ salutis esse gratiam DEI.

Et certè quibus doctrina hæc displicet, non sunt nisi inimici gratiæ Dei. volunt enim isti Pelagiani, vt etiam aliqua ex parte à seipsis pendeat salus, & à suo libero arbitrio. Quare? Vt sint tutiores de sua salute. Quasi verò tutior sit nostra salus in manibus nostris, quàm in manu Dei. At (vt inquit Augustinus) tutiores viuimus, si totum damus Deo: vbi enim tutior est nostra salus, quàm in voluntate Dei firma & immutabili? Si à nobis penderet, incerta esset salus: quia mutamur. Sed ideo certa est, quia in voluntate Dei est sita. Quos enim semel elegit, saluat. Legantur etiam quæ scripsit D. Fulgentius ad Monimum lib. 1. pag. 18. vsque ad 21. vbi pulchrè demonstrat, & prædestinationem, & vocationem, & iustificationem, & glorificationem beneficia esse ac dona gratuita. Ac de quarto, hoc est, de gratuita prædestinatione, satis.

QVINTVM: Ex eo verò, quod diximus in definitione Prædestinationis sanctorum, Deum prædestinasse etiam opera, in quibus ambulant electi: conclusio illata est, nullos esse electos (de adultis loquor) qui hinc in cælum migrèt sine bonis operibus. Confirmata fuit exemplo etiam Latronis: nam in eo fuerunt omnia ista bona opera, agnitio peccati sui, confessio Christi, patientia, fraterna correctio, &c. Quare præposterè illos argumentari, qui dicunt: Si sum prædestinatus, etiam sine bonis operibus seruabor.

V.
Sine bonis
operibus ne-
mo adul-
tus in ca-
lum ascen-
dit.

Hæc est fallacia diuisionis: Diuidunt enim res inseparabiles, effecta à sua causa. opera enim bona effecta sunt prædestinationis, & ab illa pendent: ideoque separari non possunt. Sic potius argumentandum est: Prædestinatus sum ad vitam æternam: ergo mihi ambulandum est in bonis operibus, quandoquidem prædestinatus ad vitam præparata sunt etiam bona opera, in quibus ambulent. Atque hæc est via ad cælum ordinaria.

SEXTVM: Ex omnibus iis prædestinationis effectis, quæ enumerauimus, colligimus: Igitur quicumque cernit in se hæc effecta, id est, videt se vocatum, sentit se iustificatum, donatum fide, patientia in aduersis, studio bonorum operum, & aliis gratiæ effectis: certissimè sibi persuadere debet, se esse ex numero prædestinatorum. Confirmatur hæc conclusio. Duo enim sunt, quæ electos reddunt certiores, quòd sint electi ad vitam. Primum est, testimonium Spiritus sancti internum. De hoc Paulus Rom. 8. Spiritus autem (scilicet Dei) reddit testimonium Spiritui nostro, quòd simus filij Dei: ergo etiam quòd prædestinati ad vitam. Et hoc est ceu argumentum à priori seu à causa, quæ est Dei bonitas, & gratia & charitas, diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, Rom. 5. Alterum sunt effecta prædestinationis, seu gratiæ: vocatio, iustificatio, bona opera. De iis Petrus, 2. Epist. 1. Quapropter magis studete, vt per bona opera (sicut habent quidam codices Græci) firmam & certam faciatis vestram vocationem & electionem. Cui facienda est certa vocatio nostra, & electio, per bona opera? Non Deo: Quia

VI.

1.

2.

certa fuit & est Deo, antequam essemus conditi: sed nobis, & proximo. Discernuntur enim hac nota electi à reprobis: quòd illi ambulant, & perpetuò pergere conantur in studio bonorum operum: atque ita pergunt, ut tametsi nonnunquam inter ambulandum labantur, tamen dolentes lapsus suos, mox erecti à Spiritu Dei, surgant, & suum iter continuent, peccato in illis nunquam regnante: quia peccato perpetuò reluctantur, eique nunquam ex animo obtemperant: de quibus 1. Iohan. 3. Omnis qui natus est ex Deo, non peccat (scilicet ex animo, & ad mortem, seu peccatum regnans) nec potest peccare, quia semen Dei manet in illo. Isti autem, nempe reprobi, nihil minus curant, quàm ut obtemperent legi Dei, & ambulent in studio bonorum operum. Sunt enim captivi à Sathanæ, ambulant in tenebris, nesciunt quò eant, in ipsorum cordibus regnat peccatum, & ipsi illud tanquam suum regem amant, libenter & ex animo illius concupiscentiis, tanquam regiis mandatis obtemperant, idque semper & ubique, & pro tota sua virili. Proinde isti reprobi, etsi ad tempus aliquando videantur credere in Christum, studere bonis operibus, & ideo esse ex numero electorum: reuera tamen non sunt, nec reuera credunt in Christum, nec reuera amant legem Dei, & perpetuò mentiuntur. De iis prima Iohan. 3. Omnis qui peccat (scilicet ex animo) non novit Deum: hoc est, declarat se nunquam vera in Deum fide fuisse præditum. Videmus igitur, quantum discriminis sit inter electos & reprobos: quòd electi, præsertim post regenerationem, perpetuò student legi Dei faciundæ, & ambulant in eis operibus, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus: & hac ratione certam reddunt suam vocationem & electionem. Reprobi verò, etsi nonnunquam ad tempus simulent fidem & sanctitatem: intus tamen nunquam verè credunt in Christum, nec amant legem Dei. Faxit Dominus, ut quisque nostrum ambulet in via electorum, & veræ fidei operibus: ut certam, tum sibi tuum alijs, suam reddat electionem, Amen.

DE IMPIORVM EXCAECATIONE, ATQVE INDURATIONE: de q, eorum æterna ad excacationem & indurationem, atque ideo ad interitum prædestinatione, Quæstiones quinque: ex eiusdem H. Zanchij in Cap. Esaie 6. in ea verba: Excaca cor populi huius: Prælectionibus desumptæ.

PRIMA.

An Deus ipse aliquos induret, excacet, tradatque in reprobum sensum: ut faciant quæ non conueniunt, atque ita pereant?

ALTERA.

Quos nam excacet, & induret?

TERTIA.

Propter quam causam aliquem induret, atque excacet?

QUARTA.

Quomodo, seu quibusnam medijs Deus induret & excacet: num sola permissione, aut gratie duntaxat subtractione: an verò externa etiam, & interna actione?

QUINTA.

Cum Deus nihil agat, quod non ab æterno prædestinauerit, & decreuerit se facturum: an Deus aliquem ad excacationem, ac proinde ad malum prædestinauerit?

Quæstio